

⁵tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui, tuli : nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quidquid increpuerit Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, ⁶non est ferendum. Quamobrem discede atque hunc mihi timorem eripe, si est verus, ⁶ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.' ✕

VIII.—19. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne ¹impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? ²Quid? Quod tu te ipse ³in custodiam dedisti? Quod vitandae suspicionis causa ⁴apud M'. Lepidum te habitare velle dixisti? A quo non receptus etiam ad me venire ausus es, atque ut domi meae te adservarem rogasti. Cum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse ⁵isdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem quod isdem moenibus contineremur, ad ⁶Q. Metellum praetorem venisti : a quo repudiatus ad sodalem tuum, ⁷virum optimum, M. Metellum demigrasti, quem tu ⁸videlicet et ad custodiendum diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ⁹ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque vinculis abesse debere, ¹⁰qui se ipse jam dignum custodia iudicavit? | 20. ¹Quae cum ita sint, dubitas, si ²emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam, multis suppliciis iustis ~~debitis~~que ereptam, fugae solitudinique mandare? | ³Refer, inquis, ad senatum ; id enim postulas, et, si hic ordo ⁴sibi placere decreverit te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod ⁵abhorret a meis moribus, et tamen faciam ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina, libera rem publicam metu, in exilium, ⁶si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina?